
DE SANCTI SPIRITUS ADVENTU. ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO. AD...

Bernardo Gaetano Guadagni, Valenti Gonzaga


Digitized by Google

43



INNOCENTIO XII.

PONT. MAX.

BERNARDUS CAIETANUS GUADAGNI

Fœlicitatem.




UDACIOR fortaſſe, videri poſſem, dum has litterarum primitias tuo nomine inſcribo BEATISSIME PATER, niſi ab ipſa Divini Spiritus majeſtate terras dignante diſcerem, ſummæ, ac propè Divinæ conditionis eſſe humaniter ſe ad ſupplicum vota demittere. Ad hoc æquitatis habita quædam ratio accedit, qualeſcumque enim fructus iſti ex Romani Seminarii

hortulo provenerunt: qui olim, omni virtutum genere à te ſplenditiſſimè cultus, & exornatus: ſuum nunc Solem te, ac Beatiſſimum fæcunditatis ſuæ Parentem agnoſcit. Mihi verò, vel maximè honorificum fuerit, munere iſto perfungi, cùm tu Florentiam, Patriam meam, Pontificia Legatione illuſtratam; Purpuræ, & ſupremi in terris Principatus, ſplendidum feceris rudimentum. Excipe qua ſoles humanitate, munuſculum Domi tuæ natum: & Orbis univerſi felicitati, cui tam impensè, atque unicè ſtudes, diutiſſimè vivas.



ORATIO.



SPIRITUS veritatis post partam humano generi tranquillitatem, & fœderatas Cœlo terras nova bella denuntiat B. P. id enim esse causæ interpretor cur ignem cujus asperum, & intractabile ingenium est, Socium faustissimi quem meditabatur in terras illapsus, adsciverit. Quid verò nisi Bella portenderet incitatus ille, novusque è Cœlo fragor, & quædam amoris tonitrua, quibus tamen, non ad Terram corpora affligerentur, sed animi erigerentur in Cœlum. Ita amor Divinus commotione illa flammisque, terroris insignia ostentat ut suos recrudescentis belli admoneret; & quia perfidia multorum expediebat intelligi, amorem, qui descen-

derit fortem esse, & armatum. Si indomiti cæteroqui Leones, solo ignis aspectu terrentur, debuerat Leonem illum tartareum, qui circuit quærens quos devoret, metu percellere: occursus flammarum Cælestium salutaris. Divina olim Sapientia, eloquium suum attemperavit antelucani roris in morem, & pluviæ descendentis in vellus; hodie, ad eluviones scelerum ubique grassantium restinguendas eloquentiam robustiorem accersit, quæ scintillantibus igne linguis munita, feliciùs quam in Pericle Athænæ suspexerant, tonitru perorat, & fulmine. Et miremur si vehemens illa ex igne procella inclusos in Augusta Sionis Curia nascentis Ecclesiæ Patres, non afflaverit metu, sed spe certissima confirmaverit, non latebras ad declinandum incendium pervestigare coëgerit, sed latentes prius, atque sollicitos in apertam aciem proripuerit. Neque verò pectorum angustiis, aut sacrorum parietum ambitu, se ardor ille continuit. Remotissimas terræ regiones, Cœlo, ingeniis, moribusque pugnantes irradiavit, tenuit, expiavit; Exitu ubique tam fausto, fortunatoque, ut quos adureret flamma, reficeret; quos dissolveret, colligaret; quos consumeret, vocaret ad vitam. Quanta porrò celerita-

 45

te, non armis, ſed ſapientia decertatum eſt, ac triumphatum. Vix delirantium anteà Populorum Inſtitutor Ignis Apoſtolorum frontes amabili incendio coronavit, cum Æthnicæ ſuperſtitionis oraculis ſilentium indictum; cum Egyptiorum, Perſarum, Indorum inſanientis Sapientiæ ſacraria obmutuerunt; cum ejuratis ubique teterrimis errorum monſtris nova, divinaque Sapientia recreatus orbis, & confirmatus. Nimirum veritatis ad perſuadendum expeditiſſimum iter eſt; & ubi Magiſter eſt Deus facillimè diſcimus, quod docemur. Miſteriis multo ſublimioribus initiari ſe lætatur Ægyptus. Naviculariós Præceptores demirata, Sapientes ſuos Grȩcia deſpexit. Hæc verò Populorum, Terrarumque grande compendium Roma, ad primos Divinæ Lucis exortus oculos longa nocte caligantes aperuit tanta felicitate, ut quæ omni ſcelerum errorumque colluvione deformabatur, jam divinitatis interpres, veritatis magiſtra, conſalutetur. Hæc Religionis incrementa, triumphos hoſce pulcherrimos flammis illis acceptos referre debemus; quæ ſingulari concitatione commotis terris, ipſa Belli denunciatione, pacem Eccleſiæ lætiſſimam pepererunt. His impoſterum

flam-

flammis de' infestissimo hoste Tartareo, novas in dies Christiano Gregi insidias moliente, Religionis arx ista, & propugnaculum ineluctabile, triumphabit.

F I N I S.

